



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XXVI. De Maledicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

sum antiquiori partim; quia vi consue-
tudinis, passim recepta, Prælati clericos
delinquentes per ministros laicos capiunt,
in carcerant, castigant &c. *e. Si clericos*
15. de Sent. excom. in 6. ne, deficientibus
personis Ecclesiasticis, quæ ejusmodi mu-
nus & actiones in se suscipere velint, cle-
ricorum delicta maneat impunita, con-
tra Reg. c. Ut fama 35. eadem Rubr. Pa-
normit. in c. Universitatis cit. n. 6. in s-
ue, Navarrus Comment. 3. de Regularib. n.

52. & cit. Suarez n. 44. partim verò;
quia hodie Prælati etiam Regularibus
clericos sibi subditos per Religiosos, et-
iam laicos seu conversos, verberibus
&c. castigare licet, vi Privilegii ab Ale-
xandro VI. & Leone X. concessi & rela-
ti in *Compend. Privileg. Minor. V. Ab-*
solutio Ordinaria §. 20. & 27. Eodem
cæterorum Ordinum Prælati gaudent ex
communicatione, Palao *Tract. 29. disp.*
3. p. 23. §. 3. n. 11.



TITVLVS XXVI.

De Maledicis.

SUMMARIUM.

1. Maledici percutiunt linguâ.
2. Si privatam, ad læsæ existimationis
reparationem:
3. Si Principem, Majestatis violatæ cri-
mine tenentur.
4. Aliquando tamen eis clementer igno-
scitur.
5. Prasertim si Ecclesiastici, non digni-
tatem, sed personam lædant.
6. Venia à B. Pio V. data illustre exem-
plum.
7. Deum & Sanctos maledictis lædant
blasphemii:
8. In quos severissima pœna Lege Di-
vinâ,
9. Sanctionibus Ecclesiasticis,
10. Et Imperiali jure sunt constituta,
11. Blasphemia hæreticalis Ecclesia-
stici:
12. Non-hæreticalia Mixti Fori est cri-
mina.

Percussio alia Manu, alia Linguâ fit, **1.**
Glossa & Panormit. in *Rubric.*
Illâ Maledici; istâ Maledici per-
cutere solent, detrahendò & ver-
ba calumniæ jaciendò, Hostiens. in *Sum-*
ma, n. 1. Sunt autem Maledici triplicis
generis.

Nam primò aliqui in proximum **2.**
privatum: quem, aliquod malum vg-
quod fur aut adulter sit, de eo enuntian-
dò, vel bonum seu dotem & qualitatem
ipsi competentem vg. ingenuitatem, no-
bilitatem inficiandò, deprimunt. Id, si
eò absente fiat, Detractio: si præsentì
in faciem obijciatur, Contumelia est, Mo-
lina *Tract. de I. & I. disp. 22. n. 1.* quo-
rum maledictorum utrumque peccatum
ex genere est mortale, ejusque reus in
Conscientiâ interno ad famæ atque exi-
stimationis læsæ reparationem obligatur:
in externo autè foro obnoxius est Actio-
ni injuriarum, l. Item 15. §. 27. ff. l. *Qui*
liberos g. Sc. C. de Injuriis, de qua sermo
redibit

redibit *Ti. 36.* Hæc locò silentiò præmittendum illud non est, quòd in proximum maledicus clericus maximè Sacerdos olim ad injuriæ illatæ veniam postulandam compellendus: & si renuerit, degradandus, id est, suspendendus fuerit: neque ante prætitam satisfactiõnem ad officium Ecclesiasticum unquam revocandus, ex Decreto Concilii Carthag. IV. relato *can. Clericus 5.* junctâ Glõsâ *V. Revocetur. dist. 46.*

3. Secundo, alii in Principem: & imprimis quidem in secularem, ut sunt Imperator vel Rex: cui, qui maledicere præsumit, prævaricator est Legis Divinæ, Principi populi non maledicere præcipientis, Exodi *cap. 22. v. 28.* Proverb. *cap. 20. v. 2.* & ad Titum *cap. 3. v. 1.* & secundum communem Majestatis crimine olim tenebatur, teste Arnobio, *Lib. Advers. Gentes*, ubi, *Majestatis*, inquit, *sunt apud vos rei, qui de vestris seculis obmurmuraverint Regibus.* Neque id sanè immeritò; cum utique graviore & severiori ultione vindicanda sit injuria, quæ Principi, quàm ea, quæ privato alicui irrogatur, Menoch. *de Arbitr. casu 377. n. 13.* Postea tamen Impp. Christiani; quòd maledicta negligere excelsi & verè Regii animi esse ducerent, illa in Principem effundentium culpam ad supplicium non facile trahi, voluerunt, *l. Unica C. Si quis Imp. maled.* quâ de maledicto in se effuso Theodosius Arcadius & Honorius Imperatores Christianæ mansuetudinis exemplò sanè illustrissimò, *Si illud*, inquit, *ex levitate processit, contemnendum est: si ex insanis, miseratione dignissimum: si ab injuria, id est condonandum*, Menoch. *Casu cit. n. 9.* & Bruneman, *in l. cit. n. 2.* Nisi maledicta continerent verba, spectantia seditionem aut acclamationes turbulentas, quibus ipsius salus aut status adduceretur in di-

scrimen; tale enim maledictum, & quoties alia justa ratio aut exempli necessitas scelus puniri, exigit, causam remittendam ad Principem: qui, an, & quâ pœnâ petulantis lingue intemperantia coercenda sit, cognoscat, Glõsâ *in l. Unica. cit. V. Remittendum, cit. Menoch. & Bruneman. n. 7.*

Deinde in Ecclesiasticum, ut sunt Episcopi, & maximè Papa: quem, utpote Christi omnium mitissimi in terris Vicarium, cum mansuetudo omnium maximè deceat, obtruncantium linguas minus quàm terrenum Principem convenit offendi, ac proinde sibi maledicentibus injuriam remittere, *can. Inter querelas 23. q. 4. c. l. Si quis in hoc 10. C. de Episc. & cleric. cum*, ut ibi dicitur, Episcopo & Sacerdoti, status sui sanctitas ignoscendi gloriam derelinquat. Sed, licet huic argumento locus sit, quando maledictum ex temulentia vel levitate, ex insanis vel animi, injuriæ exulcerati, commotione procedit, eoque soli Personæ derogatur, *arg. l. Unica cit.* remitti tamen, sive condonari, nec debet nec potest culpa linguæ, cujus, injuriandi animo exercitâ maledicentiâ fedi Apostolicæ ejusque Primatui vel Pontificali dignitati derogatur, aut pravo exemplò, ut ferè solet, alii scandalizantur, *can. Salonitane 24. dist. 63. can. Guisfarius 23. q. 4. c. l. hæc Rubr.* ubi clericus, verba quadam in Papalis beneficii, hoc est; dignitatis contemptum ac depressionem temerè effundere ausus, à Clemente III. ita compesci justus est, ut ipsius punitio aliis terrorem incutiat; ne de cætero in talia verba contra Romanam Ecclesiam temerè alii prorumpant, *Farinac. Prax. Criminal. q. 201. a n. 394.* Quam doctrinam plurimùm illustrat exemplum B. Pii V. qui famosi carminis in se conficti authori ad se adducto & supplicia metuenti animi demissione, vel magnitudine

gnitudine majori, nefcias, *Si tu*, inquit, *mibi ut summo Pontifici maledixisset, impune non fores. Verum, quia in Fratrem Michaelem*, quod ejus nomen ante Pontificatum fuit, in *Monachum Scarponensem Sc. convicia jactasti, liber abi, quò vis. Ego verò humilitatem generis mei vita & habitus semper animò retinebo & libenter confitebor*, Petr. Matthæi apud Barbofam in *c. 1. cit. n. 2.*

7. Tertiò, alii Maledicta iaciunt in Deum linguâ contumeliosâ, & sacrilegiò omnium maximè abominandò: sicut contingit Primò quando de Deo, quod ipsi non convenit, vg. crudelitas, iniustitia affirmatur: vel, quod ipsi convenit, vg. scientia, potentia, providentia negatur: vel, quod Divinitati proprium est, vg. omniscientia, omnipotentia alicui creaturæ vg. dæmoni attribuitur, S. Thomas 2. 2. q. 13. art. 1. Sylvester *V. Blasphemia q. 1.* & Farinacius *q. 20. n. 11.* Secundò, quando Deum quis detestatur, eive malum aliquod vg. ut hominum peccata vel non sciat, vel non valeat punire, imprecatur, quasi talia in eum cadere queant, aut eum vel Christum, aut ejus membra contemptim aut indecenter nominat, *citt. Sylvester q. 2. Farinac. n. 22. & Haunold. Tom. 6. de I. & I. Tract. 2. n. 140.* Tertiò, quando indecentia & contumeliosa verba in Deiparam aliòsque Sanctos jaciuntur, vg. illam Virginem, aut hos in cælo esse negandò, ut ipsius etiam Divini Numinis honori derogetur, *citt. Sylvester q. 3. Farinac. n. 25. & Haunold. n. 141.* Horum maledictorum aliqùd, qui supremam summèque venerandam Majestatem lacerare, & pro debite venerationis cultu contemptim & injuriosè habere non verentur, sicut multò quàm hominis cujuscunque obtréctatores gravius delinquant, ita graviores & severissimæ animadversionis sup-

plicis omni Jure legimus punitos.

Primò enim in veteri Testamento, 8. qui nomen Domini Blasphemiam laceffisset, à populi tota multitudine lapidibus opprimebatur, ipso supremo Legislatore Deo præcipiente, *Levitici cap. 24. v. 16.* ut adeò mirum non sit, Judæos, cum blasphemiam proferri existimârunt, aures obturare & vestimenta scindere consuevisse, ut colligitur ex Matthæi *cap. 26. v. 65.*

In Novo autem Ecclesiasticis sanctionibus olim blasphemii clerici ab officio deponebantur: laici verò per sententiam excommunicabantur, *can. Si quis per capillum, 22. q. 1.* postea verò istis poenitentia publica & multa pecuniaria decreta est *c. fin.* Demum, in eosdem & clericos blasphemos amissionis emolumentorum aut fructuum, ex officio temporali vel beneficio Ecclesiastico provenientium ad tempus, istorum privatio & ad ea obtinenda inhabilitas, amissio dignitatis & ipsius Nobilitatis, infamis statio ante Ecclesiæ fores, fustigatio, trirèmes, aliavè poenæ pecuniariæ & corporales, pro delicti & personarum delinquentium aliarumque circumstantiarum varietate, ipsò factò incurrendæ aut per sententiam infligendæ constitutæ sunt in Concilio Lateranensi sub Leone X. *Sess. 9. de Reformat. Curia, & Constitutionibus Julij III. & Pii V. à cit. Haunold. n. 147.* allegatis: quas tamen usu ferè non receptas; & propterea in blasphemorum punitione locorum statuta & consuetudines observandas, monet Palao *Tract. 17. disp. 2. p. 2. §. 5. n. 1.*

Jure demum Civili in eos ultimum 10. supplicium constitutum fuit *Novell. 77. cap. 1.* & prioris seculi anno 48. à Carolo V. Imp. in *Recessu Augustano* blasphemii in Deum morte vel amputatione membrorum; blasphemii autem in B. V. Mariam

Mariam aut Sanctos Dei, si moniti non respiciant, pro qualitate personæ, gravitate maledicentiæ, aliarumque circumstantiarum, vel in corpore, puta, fustigatione, linguæ sectione vel amputatione &c. vel in bonis pro conditione personæ & aliis circumstantiis puniri jubentur, Harum tamen Constitutionum Imperialium rigorem in defectu abesse, testatur passim invalescens usus blasphemiarum: quem, etsi Clarus §. *Blasphemia* n. 3. non malè in Religionis & Justitiæ defectum refundat: in Bavaria tamen nostra blasphemi pro varietate circumstantiarum variè, pecuniariâ vel corporali pœnâ pleetendi, judicis arbitrio permittuntur *Posteque Ordnung Lib. 5. tit. 7. art. 1.* & si blasphemiam enormes sint, reos amputatione linguæ & capitis pleeti posse, superiorum annorum exempla docuerunt, teste *cit.* Haunoldo n. 153.

I f Dubium est de iudice criminis Blasphemiam. Et quidem, si ista hæreticalis, hoc est, conjuncta cum expressâ hæ-

reticis sit: & istius reus conveniat, cognitionem ad iudicem Ecclesiasticum pertinere, exploratum est ex *Tit. 7. n. 26.* & tradunt Barbofa *de Offic. Episc. alleg. 51. n. 93.* & Farinac. *q. cit. n. 39.* Si verò hæreticalis non sit, Mixti fori est crimen, Panormit. *in c. fin. n. 4.* Marthæ *de Jurisdic. p. 2. cap. 13. n. 11.* Sanchez *Lib. 2. Moral. cap. 32. n. 37.* & alii, id defuentes ex *c. fin. cit.* verbis, *Per Episcopum pena subdatur & per temporalem potestatem &c. multetur;* ut proinde, sicut in cæteris Mixti fori, sic etiam in blasphemiam non hæreticalis crimine adversus reum laicum locus sit præventioni: sic tamen; ut punitio iudicis non impediatur, quò minus, si ab Ecclesiastico committitur minor pœna inflicta sit, Secularis ad condignam eum valeat condemnare: & si iste pecuniariam vel corporalem, Ecclesiasticus saltem spiritualem infligere possit, per ea, quæ multis relatis *cit.* Barbofa n. 95. & Farinac. *cit. n. 39.* docent.



TITULUS XXVII.

De Clerico Excommunicato, Deposito, vel Interdicto Ministrante.

SUMMARIUM.

- | | |
|--|--|
| <ol style="list-style-type: none"> 1. Clerici Censurati, Ordinum alius exercecentes, deponuntur, 2. Privantur beneficiis Ecclesiasticis, 3. Et contrahunt irregularitatem: 4. Cui non solum suspensi, depositi vel | <p style="text-align: center;"><i>interdicti,</i></p> <ol style="list-style-type: none"> 5. Sed majori etiam excommunicatione ligati obnoxii sunt. 6. Eam tamen non contrahunt, si solos jurisdictionis, 7. Vel etiam Ordinis, sed huic non proprios alius exercent. 8. Secun- |
|--|--|